

Abstrahet; heus mox Vos quoq; si fors vincimur ipsi,
Cernitis objectos iisdem (res conscia) fatis.

Ergo pium fortemq; animum Rex inclyte serva.
Quippe haud solus eris, qui Nos discrimine tanto
Solvere, & amisam pacem reparare laboret.
Quin, si nulla Tuis REGUM consortia coeptis
Adveniant, (quãquã modò præstitit Hungarus ingens
Officium) DEUS est, qui Te servetq; juvetq;,
Dum bona, dum justa est, quæ tandem caussa triumphat.

✽ (*) ✽

VIVAT IO FELIX REX; VIVAT, ET IMPERET ÆQVIS
LEGIBUS, AC REFERAT DEVICTO EX HOSTE TRO-
PHEUM:

ET SUA SIT SUMMO GLORIA SUMMA DEO;
ET SUA SIT REGI GLORIA LAUSq; PIO,
TOTIUS ET POPULI VOX PIA DICAT, AMEN.
AMEN.



LIGNICI Typis Sartorianis.

✽) o (✽

✽ o ✽

✽

ORATIO
AD
SERENISSIMUM
AC POTENTIS-
SIMUM PRIN-
CIPEM
FRIDERICUM
REGEM BO-
HEMIAE.

Auctore

MARTINO OPITIO
SILESI O.




Typis GOTTHARDI
VOEGELINI.



ORATIO AD FRIDERICVM
REGEM BOHEMIÆ.



UAMVIS, Rex Serenissime, speratus iste tuus in hæc regna ingressus publicâ et totius orbis Christiani lætitiâ celebrari meretur: tamen nos potissimum, quos tam clementer in sinum tuum recepisti, absque summo scelere tacere non posse arbitramur. Neque credo, ullum inter nos tam desperatæ naturæ, tam aversum à studio pacis, tam infensum salutis patriæ esse, qui optatam electionem tuam ipsi cælo non imputet, et opus hoc DEI gratâ mente agnoscat. Videbantur quidem te eximie virtutes tuæ, suffragia maximæ Imperii partis, tot regum ac principum amicitie, et fatalis quædam harum regionum erga te inclinatio ad fastigium hoc ducere: deplorandi tamen statûs nostri conditione moti, te ipsum quoque tam invidiosum honorem detrectaturum non pauci existimabât. Nunc supremus ille arbiter, qui corda regum in manu habet, inclinatum aliàs ad clementiam animum tuum direxit, et tibi quidem nos affli-



80041/15 QSE

Etos pupillos, nobis verò te tutorem ac parentem asscivit: quo an illustrior vnquam fuerit, nescio; digniorem certè seculum hoc non invenit. Sive enim antiquissimam familiam tuam, sive vitam spectemus; illius splendorem omnes historiæ, omnia annalium monumenta loquuntur: tantas autem virtutes Deus immortalis in te congeffit, ut nisi tam regale genus ortum tuum vendicaret, iis solis sceptræquare posses & imperia. Commendat aliquem humanitas; majestas destituit & gravitas: ille insignis est pace; at sagum minus decenter gestat: alius integritatem quam foris probat, in umbrâ voluptatis confodit. Nemo denique existit vsquam, cujus moribus vestigium aliquod nævi non sit impressum. In te quod culpent, liberè loquor, ipsi hostes non inveniunt.

Omnis vitæ tuæ ambitus, R E X, speculum innocentiaë est; ac facilius dixerim quid tota sit virtus, quam quid tua. Pietatis laudem nemo tibi detrahat nisi impius: quæ sola invictam aliàs mentem tuam vicit, quâque tantum ultrà reliquos principes conspicuus es, quantum illa ultrà omnes alias virtutes. Religionis amor, sine quo nemo unquam magnus

gnus fuit, cum ipsa hæreditate ad te transiit: cujus vindicatio proprium familiaë vestraë opus, cuius arx & sedes eadem quæ vestra Heidelbergæ est; celeberrima Academia, tam quod te, quam quod illam fovit. Quid de prudentiâ, imperatrice humanarum actionũ, dicam, quâ captum annorum supergrederis? Quis te rectius præsentia ordinat, futura providet, antea recordatur? Quis ad evitandas fraudes cautior? Quis in consiliis circumspectior? Vitæ spatium nondum æquas viros; superas tamen senes iudicio. Ætate sensim ut nos proficis; at festinas virtute. Ævi immaturus es, at maturus imperio. Excusavit hætenus, R E X Prudentissime, infirmitatem sapientiæ annorum paucitas: nunc præter augustam indolem tuam, in quam nihil mediocre cadit, quid adolescentiam defendet? Quam difficile est in hac ætate suam capere fortunam! Cepisti tamen, & hujus rei tantò majus documentum nuper edidisti, quanto majus est oblatum imperium deprecari, quam denegatum invadere. Nunc postquam receperis, quid dubitamus, eadem moderatione te defensurum quâ recusasti? Tam sublime ingenium dissimile sibi esse non potest. Sed

humanitas tua, Deus bone, quàm ex ipsis oculis tuis elucet! Alter Trajanus es; nemo à vultu tuo discedit tristior: nemo qui iustitiam tuam sentit, queritur de sàvitiâ. Imò alter Augustus es, quem dare pœnas apparebat cum exigeret. Nihil, Princeps indulgentissime, fortunæ tuæ obtigit laudabilius, quam quod possis; nihil naturæ, quam quod velis; servare plurimos. Perge, REX, mereri pulcherrimâ coronam OB CIVES SERVATOS. Macte hac gloriâ, quæ quò in regiâ domo rarior, eò in tuâ erit eminentior. Desidero novum nomen, quo tam inusitatam modestiam majestatis tuæ exprimam. Quam facilis ad te unicuique aditus, quam lætus recessus! Accedunt ad principem, inveniunt patrem; et cum querelas fidenter apud te deponant, finem quisque sermoni non ex tuo fastidio facit, sed ex suo pudore. Tam mira comitas, tam civile tuum ingenium est, ut etiam invitos tibi devincias. Vultus ipse augustâ hilaritate conspicuus quàm insolitam mansuetudinem promittit! Nec lenitas authoritati, nec severitas amori officit. Nihil in te superbum, nihil insolens. Omnis tuus status, incessus, motus, amabilis est. Et animos spectatorum & oculos recre-

recreas. O modestum regem, ô submissum principem! aut sublimem potius & fastigium mortalitatis excedentem. Nunquam enim assurgis altius, quam cum sic te deprimis. Quicquid grave est, in imo subsidit: inanis animus quavis aurâ se tollit. Et hæc quidem magna sunt omnia; non minora tamen, quibus ad ea pervenisti. Admiranda dico vitæ frugalitas, contemptus voluptatum, & divina præter ætatis ingenium temperantia. Ostendant alii libertatem potentiæ peccandi licentiâ, moveantur in adulteris amplexibus, transigant noctes libidine, dies helluationibus: tu totus totus sobrietas es & continentia. Oportet itaque summas esse virtutes, quæ à tam puro et illimi fonte dimanarunt. Accedit his amor etiam studiorum & scientiæ; quæ quanti facias, tot literati circa te viri abundè testantur. Ut præteream illud sanctuarium eruditionis, Bibliothecam stupendæ magnitudinis; quam sustentasse non contentus, auges insuper novus Philadelphus & exornas. Neque linguarum peritiam attingo; quas tu aliquot tam feliciter exprimis, ut unaquæque tibi videatur nativa. Longè hic Alexandro felicior; qui cum tot populos subegisset, vix unum intelli-

ge-

gebat. Et ista ex infinitâ virtutum tuarum serie delibasse sufficiat: veram earum cōmendationem illis linquemus, quorum confidentia & dicendi temeritas iisdem quibus æterna laus tua limitibus terminatur; quam, ut marmora desint & libri, intimis civium tuorum animis aureo charitatis cælo insculpisti.

His oculis vidimus, quam tristi lætitiâ abeuntem te senes & juvenes, viri pariter ac fœminæ prosequerentur: ita salus publica, & privata orbitas diversis affectibus gaudium simul & mœrorem committebant. Credidisses singulos suo parente privari. Nondum abieras, Princeps desideratissime, & reditum flagitabamus. Ipse Nicer clementissimus fluviorum jam, qui olim Romanis, barbarus sibi videbatur. Ipsa hæc augusta sedes tua, hæc templa, hæc turre, mœstâ quadam specie Solem suum prosequerentur. Ne de hominibus dicam: quorum ingens multitudo cum passim se effuderat, in vastâ solitudine deseri tamen se quisque existimabat. Certatim suspiria erumpebant & lachrymæ: corpore non adeò multi; animo votisque, quia non licebat aliter, proficiscentem omnes comitabantur. Quid conjux tua, hæres nominis & virtutum ingen-

ingentis illius Elizabethæ? Videbatur sibi Britanniam denuò exire: hoc vno læta, quod tecum. Quàm plus solito lacteam faciem pictor genarum rubor infecerat! quàm violaverat pius imber oculos clariores astris extra Lunam splendentibus! Valedicebant gemitus, quia verba non sufficiebant. Tibi ipsi autem dubito majorne pietas moram an iter suadebat. Relinquebas matrem, summam heroinam; superiorem sic tamen, quod te genuit. Relinquebas liberos, hoc est, magnam cordis tui partem. Relinquebas subditos, quorum unusquisque et vivere optaret tecum & mori. Ibas à pace ad bellum, à notis ad peregrinos, à pacatissimo Rheni littore ad manantem incolarum suorum sanguine Muldam, à vinetis & invidendæ pulchritudinis horto ad campos latrociniis cyclosum & suorum cadaveribus squallentes, ab arce amœnissimâ ad vastam quidem, desolatam tamen & spoliatam quasi regiam. Infelix mutatio: nisi & regis splendorem, & agris ver perpetuum, & Muldæ tranquillitatem, & peregrinis amicum, & militantibus pacem reduceres.

Venis itaque in hanc scenam, in tragicœdram intricatissimam, verè deus è machinâ.

B

Vicit iter durum pietas : vicit amor nostri aspera Bohemæ juga, quibus illam natura vallavit : vicit tua clementia loci inclementiam. Multò lætiore auspicio, quàm cum olim fortissimus ducum Hannibal confusas cœlo alpium nubes superaret. Illius enim aspectu tota Italia quasi fulmine quodam contremuit : tuo sedatur tempestas, venti ponuntur, tranquilla fiunt omnia & serena. Ille militum turmas adduxit, ut Romanos excinderet : tu eosdem Comites habes ut nos serves. Ille gladios in Urbem acuerat : tuo nutu inimicorum enses velut hebescunt. Illi immane & juratum odium, tibi amor incredibilis viam aperuit. Ille natus ad mortalium cædes, ad vastationem urbium videbatur : tu bono reipublicæ natus es. Ille cum portis imminebat, metum excitabat & horrorem : te in tot Imperatorum ac regum sedem vel oculis ferre gestiunt. Illum pavidæ matres, pueri, virgines, fœminæ virique fugiebant : tibi procedunt obviam. Illius præsentiam planctu detestabantur & ejulationibus : tuam exultatione celebrant & lætitiâ. Vix pares sunt gaudio, qui superfuerunt mœrori. Credo etiam, si vllus rerum mortalium sen-

ius defunctis relinquitur, incredibili hilaritate perfundit, & operæpretium fecisse moriendo sibi omninò videri, beatos eorum manes, quotquot hætenus libertati publicæ cruore suo litaverunt.

O te regem, non hoc solum, sed totius orbis imperio dignum, dignum favore, dignum admiratione etiam hostium ! O te pium Principem, quem non felicitas nostra & res secundæ, sed ipsa fortunæ atrocitas & impressa nobis vulnera ad capeffendum diadema sollicitavit ! O te felicem ! non quia jam hostium furorem totum superasti ; sed quia felicitatem mereri omnibus videris. O faustum diem, qui te & in lucem produxit, & regno huic primus destinavit : qui tanti herois natalis, alter etiam noster natalis esse incipit : qui & tam augustum virtutis domicilium edidit, & universo orbi Christiano consecravit ! Salve Domine : Non enim rejecimus imperium, sed imperantem sævitiam. Parere possumus, tyrannidem perferre non possumus. Serviemus tibi, ut liberi simus. Salve Rex, Salve Pater Patriæ, Salve delitiæ generis humani. Pro te, illustre ævi decus, pro tuâ incolumitate Vota susci-

pimus : nam te imperante de nostrâ sumus securi . Concedat tibi Deus , vt manu tuâ nutantia reipublicæ pondera fulciantur & restituantur ; vt compos fias voti quod tantopere Octavius olim expetebat , vt dicaris
OPTIMI STATVS AVCTOR .
Sera demum ætas vela regni tui contrahat , quæ tam ferente Zephyro Iuuenis adhuc explicas . Auferas tecum aliquando moriens hanc spem , mansura in vestigio suo fundamenta quæ jeceris . Salve & tu Regina , filia Herois , cuius laudes angustias seculi excedunt ; qui profundam rerum scientiam inauditæ prorsus regnandi sapientiæ junxit ; qui Scotiæ Angliam felici sidere adjecit . Salve conjux ejus , qui nostras quoque regiones suis nunc sociat , æquali gloriâ , vti nam & fortunâ : Salve par Dei hominumque consensu lectissimum . Salve Sol & Luna nostra . Quàm suave civibus videre quem dominum , militibus quem ducem tanto cum desiderio expectabant ? Quàm jucundum , REX , percipere divini oris tui voces illas ? Susceptionem regni ab amore pacis esse non imperii ; trahi te in has turbas , minimè duci ; modestiam recusantis ab offeren-

ferentium pertinacitate victam , securitatem publicam quieti tuæ antevertisse : leve admodum populos expetere , defendere non item : & penè melius esse imperium etiam jure tuum deserere , quàm novum sanguine civium occupare : Cæterum quando sine periculo nec possideri jam Sceptrum , nec deseri possit , nostram sortem tuam esse : Itaque te anniti velle , vt alium regem dum viveres non desiderare necesse sit .

Novimus , Princeps Sacratissime , novimus , invitè regnum te adiisse , quod invitè relictum est : coacti etiam , non vltro , qui tuam clementiam non ignorabamus , imploravimus fortitudinem . Testamur Deum & homines ; Compulsi arma sumpsimus , ad asserendam salutem patriæ ; libertatem etiam infimis gentium permissam ; religionem denique , cui omnes aliæ causæ meritò postponuntur ; cujusque apud ipsos olim gentiles tam sacrum nomen erat , vt vastantibus Romam Gallis Senonibus , L. Albunius è plebe homo , virgines Vestæ nudo pede fugientia sacra comitantes , depositis vxore & liberis , in plaustrum receperit . Adeò tum quoque in ultimis , religio publica privatis affectibus antecellebat .

Corpore attentari & fortunis, grave; conscientiam, intolerabile est. Libertatis vero hanc indolem videmus, ut eam nemo bonus nisi cum animam amittat. Sicuti feris postquam caveas fregerunt, crescere vires solent & quasi duplicari: sic animositatem, cujus laudem nemo unquam nobis eripuit, dissimulare gens nostra non potuit diutius; accedente ad odium crudelis erga nos consilii, desiderio conclamatae libertatis; quae ut requiratur, semper licitum est iis, quibus illa & naturam innata, & privilegiorum pondere confirmata, & juramenti sanctitate promissa est.

Scimus equidem, sufficere subditis laudem obœdientiae; bonos principes optandos, ceteros si contingant ferendos esse. Verum ista haudquaquam nos concernunt. Non enim rebellandi animo, sed flagitatione extremæ necessitatis; non privatam conspiratione, sed unanimi omnium consensu; non contemptu magistratus, sed provocatione infandæ machinationis; arma post incredibilem patientiam corripuimus: nec adversus Regem, sed dolos sanguinariorum, qui fidem non servandam esse, cujus damna-

majora

majora tamen sunt quam quæ aestimari possint, palam præ se ferunt; qui perjuriis tempus fallunt, ut pueri astragalus. Scimus tandem diffidere lugubribus exemplis moniti. Novimus quam sævum fulmen ab arce Tarpeam mittatur; cujus Jupiter potestates & imperia obiter transcribit, & oblectationis ergo animas damnat. Hullo regni hujus civi quantum præsidii fuerit etiam in salvo conductu Cæsaris, quis est qui nesciat? Lutherum non levior tempestas deprehendisset Wormatiæ, nisi & Imperator hanc maculam nomini suo inuri nolisset, & Ludovicus majorum tuorum clementissimus repugnasset.

Non absimili multum ludo nos includere volebant præter ceteros ii, qui dominos gentium sicam & patritiis artibus invadunt; qui per sanguinem regum & parricidia inclarescunt; qui scelere super omnia facinora horribili fulmen illud belli Henricum Magnum, quem totius patriæ moles incumbens non moverat, lanienæ temerarii nebulonis subjecerunt; qui socerum tuum, incomparabilem Britanniae Monarcham, flammis et sulfure parietibus regni illidere conati sunt; qui

in cædibus ac latrociniis, animæ salutem verti sibi & aliis persuaserunt; qui trucidare inopes, infantes damnare, equuleo, igne, gladio tollere, vivos (parsimoniâ scilicet humani sanguinis) sepelire, qui divina & humana confundere per lusum & jocum solent. Hi in aulas magistratûs nostri penetraverant primò, deinde in animum. Hi in omnibus consiliis sententias dirigebant: hi fraudes, dissimulationes, perfidiam, sine quibus rectè neminem imperare docent, miscebant. Hi laverniones decantatum illud *VRE, SECA*, superioribus momentis omnibus insusurrabant. Horum mendaciis ac fallaciis, quasi præclaris artibus, regebamur. Accedebant Sejani aliquot, mali consultores: his ambitione & eminendi libidine prurientibus, nullum genus perfidiæ nimium erat. Itaque violata templa & obserata; privilegiis vis illata; innocentes carceribus intrusi, variisque modis mulctati; aditûs ad principes præclusi; decreta divi Rodulphi elusa; aliter sententiarum quidam minis tentati, quidam dignitatibus aut præmiis depravati; ruptum fas gentium; respublica velut diluvio inundata; & religio miris dolis turbata est. Nos rogare,

gare obtestari, flere, supplicando sine vllâ missione instare, & laborem spe otii sustentare. Sed frustra. Vbivis tutius fuimus quàm domi, et irritis precibus nihil profecimus, nisi vt nos rogando, illi audiendo defatigati sint.

Cum itaq; lenitudine nihil proficeremus, & graviora tanquam ex facili tolerantibus indices imponerentur, consumptâ omni patientiæ materiâ, quosdam eorum perfunctoriè reprehendimus. Hinc faces belli, quod turbatores pacis tantoperè quæsiverant, accensæ; hinc Janus apertus; hinc incendiis, cadaveribus, horrore & sanguine foedata sunt omnia; aut, vt illi prædicant, correctâ, si diis placet, & emendata. Horresco referens immanitatem barbaris inauditam, & apud posteros vix inventuram fidem. Neque infantium vagitûs, neque singultûs puerorum, neque lachrymas matronarum; neque canos senum, rabidas ac sævientes belluas commovisse; virgines promiscuè imminutas, juxtâ strenuos & imbecilles obtruncatos, agros vastatos, regni opes attritas, periisse flammis quod ferrum reliquerat. Lugenda adhuc enumeravimus: eundum ad erubescenda est.

Matrem liberos, ne gladiatorum acie caderent, in flumen abjecisse; cadavera mortuorum medio templorum sepulchris eruta; foeminas situ nondum corruptas denudatas, in aris (obstupefiant Christiani) manibus & pedibus ligatas, ad fores templi fulcris erectas; & alia prorsus abominabili scævitiâ perpetrata. O scævulum etiam Mezentiis, Tiberiis, Nerone & Domitiani, in crudelitatem ingeniosius! Vivi propudis humani generis non sufficimus, mortui accersuntur. Exacerbatis itaque tam nefariis facinoribus bellum primò inter remedia erat, ut scirent nos pro patriâ dimicare posse; & qui timere desieramus, incipiebamus odisse. Atque solutos fuisse nos à regio sacramento, nemo nisi juris & privilegiorum regni huius ignarus inficias ibit: irridebunt magis facilitatem nostram & indignabuntur omnes, tam diu nos intolerabilem scævitiâ concoxisse.

Nunc in clementiæ tuæ sinum, non sine cœlesti instinctu nos recipimus, ô REX, cujus ipsum nomen etiam Pacem nobis promittit. Deus tibi det, Princeps indulgentissime, quicquid tam inusitata mansuetudo tua meretur: nos cultu & obsequio grati-

eri-

erimus, si plura non possumus. Bohemos, Moravos, Silesios, Lusatos qui nos dicet in posterum, multa dicet; plura, qui tuos. Tuis sumus dum sumus: pro te abire quodcumque Deus volet, felicissimum augurium putabimus. Sardos ajunt sumpto herbæ succo sub exitum vitæ ridere: pro te morti etiam obviam ibimus læti libentesque si opus erit. Pro te pugnare gestimus: non deerunt vires sub tam forti, non voluntas sub tam intrepido, non successus sub tam justo duce militantibus. Vincemus armis, qui causâ vincimus. Finem persequendi non lassitudo nostra, sed mors hostium faciet, & ferrum quod lentè sumpsimus, lentè deponemus. Si numerus noster minor est, major erit animus: nunquam multi sunt, qui occumbunt.

Interim te Praga, nutrix & hospita tot Cæsarum regumque, obsecramus, ne Principem optimum nostræ Silesiæ diutiùs invidias; quæ nunc proculdubio vultum ipsius expectat, & ardenti desiderio flagrat. Intra patriam nostram, REX, intra. Acceptus eris omnibus: venis enim omnibus. Intra stipatus satellitibus & militum manu: nihil

eos

eos veremur , qui sub tam modesto rege didicerunt vivere . Intra sine illis : tuam hinc gentem , tuos servos reperies . Videor mihi certè videre totam regionem amœnissimam commoventem se funditus atque tibi occurrentem : Principum studia , æmulationes nobilium , senatorum stipationem , effusam ad te contuendum plebem , præcedentem , comitantem , insequentem , & præsentem quoque flagitantem , Vratislaviæ pulcherrimæ urbium muros optato amplexu te excipientes , turrium fastigia quasi se tibi inflectentia , ipsam autem majestatis tuæ eminentiâ superbientem . Sed hæc omnia literatis , quorum ingens apud nos proventus , relinquo , consciusque & magnitudinis tuæ , R E X Potentissime , & ingenii mei imbecillitatis , cœlestes tuas virtutes solâ admiratione & silentio venerabor .

Dominum vniversi , qui mutat tempora & vices temporum , abjicit reges & instituit , publica voce supplices veneramur , Majestatem tuam custodiat , seruet , protegat , regat consilia tua & cogitationes . Floreat sub te religio , & à pietate tuâ incrementum accipiat fidemque veritatis ; ejiciantur stirpes supersti-

perstitionis , & deliria traditionum , abominaciones ante oculos Dei . Confundantur hostes , sequantur signa quibus obviam ierunt : Ziscam scopulum & terrorem malorum bello , pace te ipsum vincas : augeas regnum togatus , quod asseris armatus . Si verò tristius quid paras , ô Deus , & finem laborum propter peccata nostra nondum facis , fac vt pro nominis tui defensione , pro Principe nostro , pro libertate , pro patria , aut superemus fortiter , aut beatè occumbamus , aut vtrunque . Tuere imperium ejus qui tuam gloriam tuetur , eumque functum longissimâ statione mortali , repositâ mole reipublicæ felicissimâ , ab hoc caduco transfer ad sceptrum vitæ , quod non auferetur in æternum . . .



AD EVNDEM
VRATISLAVIAM IN-
GREDIENTEM, EPIGRAM-
MA EIVSDEM.

*Aspice, Rex, nostram, tibi qua dicat omnia, Breslam:
Æqua Palatino surgit & illa Solo.
Si mores hominum placidos, si jura requiris;
Urbs genium dices exprimit ista meum.
Si saltus & rura voles; non largius ullis
Indulsero sibi Flora Ceresque locis.
Has habitant ades Phœbus, Phœbique sorores:
Arcibus his ira Mars habet arma sua.
Intuitu sunt digna tuo, quæcunque fereris;
Templa, forum, turres, mœnia, tecta, via.
Congessit Natura suos huc prodiga luxus,
Et totius opes orbis in urbe vides.
Vitifero sed par quid possidet Odera Rheno?
Hac quoque fit purum te veniente merum.*



*Nehmen, Friedrich König von,
nicht begibt. nicht. 1719.*

SERENISSIMO POTENTISSIMO-
QUE PRINCIPI AC DOMINO, D.

FRIDERICO,
BOHEMIÆ REGI INCLYTO,
PIO, FELICI,

COMITI PALATINO RHENI

S. R. IMPERII PRINCIPI
ELECTORI,

DUCI BAVARIÆ, MARCHIONI
MORAVIÆ, DUCI SILESIÆ, LUSA-
TIÆQUE MARCHIONI

humilimè gratulatur

Devotiss. N. M. Q. E.

MICHAEL PICCARTUS FRANCUS,
PROFESSOR NORICUS.

NORIMBERGÆ

è Typographeo

Abrahami Wagenmanni

ANNO dno 1719.

11.

45. 1719. 96.